



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LIV. De Successione liberorum Spuriorum, & naturalium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS LIV.

## De successione liberorum spuriorum, &amp; naturalium.

Onufrius volens de rebus suis disponere, cum nullos haberet hæredes necessarios, quos institueret, Titiam filiam spuriam hæredem instituit addens, & dans ei potestatem, ut se à Principe faciat legitimari; si verò Titia in pupillari ætate decederet, vel alias sine filiis, tunc eo casu eidem substituit fratrem suum Anselmum; 1000. verò fl. relinquit Berthæ ancillæ, & concubinæ suæ in dotem.

QUÆR. I. An validum sit testamentum Onufrii, quo filia spuria hæres instituta est?

QUÆR. II. An, & quomodo filii spurii succedant matri, & an, & quomodo naturales?

QUÆR. III. An subsistat legatum ab Onufrio Berthæ concubina relictum?

308 **A**Nte r. Q. resolutionem expedit notasse filios illegitimos duplicis esse generis, naturales scilicet, & non naturales, seu spurios, ut vocant. Naturales secundum Jus Canonicum censentur ii omnes, qui extra matrimonium suscepti sunt à parentibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis, vel saltem natiuitatis absque impedimento juris dirimente consistere poterat. Non naturales verò, seu spurii Jure Ca-

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

nonico dicuntur, qui geniti sunt ex muliere, cum qua nec conceptionis, nec natiuitatis, nec etiam intermedio aliquo tempore matrimonium consistere potuit, qui idcirco ex damnato coitu nati vocantur. Secundum leges autem, & Jus Cæsareum naturales ii solum censentur, qui nati erant ex concubina unica soluta domi retenta, cum qua matrimonium contrahi potuisset, *Auth. quibus modis naturales efficiuntur §. si quis autem defunctus.*

Uu

functus.

*fundus*. Non naturales verò, si cum eorum matre matrimonium contrahi non potuisset & nati ex coitu damnato dicebantur; reliqui autem nòthri vocabantur, seu spurii, qui scilicet ex meretrice publica procreantur, & ideò spurii, seu vulgò concepti appellari solent, inter quos, & naturales illud etiam hodièdum discrimen intercedit, quòd naturalium, seu ex concubina domi retenta natorum pater certus præsumatur, donec contrarium ostendatur; nothorum verò seu spuriorum pater incertus, quousque rationibus demonstratur. His notatis.

309 Ad 1. Q. videtur testamentum Onufrii, quo Titiam filiam spuriam hæredem instituit, irritum, & nullum esse. Ratio est, quia spurii, seu qui ex mulieribus nascuntur, quas eorum patres justis nuptiis sibi jungere non potuerunt, Jure Canonico, Cæsareo, & ex communi DD. excluduntur ab omni successione paterna, etsi nulli extent filii legitimi, *Auth. ex complexu C. de incest. & inutil. nupt. Novell. 89. c. ult. Auth. licet C. de natural. liber.* Cùm ergo Onufrius suorum bonorum hæredem instituerit Titiam filiam suam spuriam, cui jus succedendi parentibus lex ademit, & successionis paternæ incapax reddidit; testamentum Onufrii, quo filiam spuriam instituit hæredem, invalidum, & nullum erit: imò spurii non tantùm excluduntur ab hæreditate paterna,

sed neque alendi sunt ex bonis paternis, ut habetur textibus *citt.* idque ideò, ut hac ratione parentum libido refrænatur; quod tamen quoad alimenta intelligendum est, si propriâ industriâ, aut aliâ viâ licitâ se commodè sustentare possint: nam Jus Cæsareum quoad alimenta hodiè correctum est à Jure Canonico, juxta quod parentes quibuscunque illegitimè natis alimenta moderata præbere debent, *C. cum haberet de eo, qui duxit in matrimonium, quam pulluerat adulterio, in fm. ubi, sollicitudinis, inquit, tua intererit, ut uterque parentum liberis suis, secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrat.* Imò non tantùm ex æquitate canonica, se & lege Divina, & naturali alimenta filiis denegari nequeunt, ut alibi dictum est, Nihilominus.

R. Testamentum Onufrii, quo filiam suam spuriam hæredem instituit, validum & firmum esse. Ita Covar. in *epitom. 4. Decretalium, p. 2. c. 8. §. 5. Conc. 1. n. 12.* Baldus, & Alex. in *l. Gallus §. instituens. ff. de liber. & posth.* Clarus *q. 31. §. Testamentum.* Aret. in *l. filius famil. ff. de testam.* ubi plures adducit jurisperitos, qui opinionem hanc communem esse testantur. Angel. Comit. &c. Ratio est; quia validum est testamentum, quo spurius hæres instituitur non voluntate absoluta solius testatoris, sed sub conditione, & cum respectu ad Principis legitimationem: atqui tale est testamentum.

stamentum Onufrii, utpote qui institutionem rejecit ad Principis Clementiam, & legitimationem, ut patet ex specie facti, seu casu proposito: ergo. maj. prob. tum legum auctoritate, *Authent. seu Collat. 6. quibus modis naturales filii efficiantur legitimi, cap. 2.* ubi Justinianus Imperator jus concedit patribus, qui cum mulieribus conjugio copulari non possunt, sua bona proli non legitimæ relinquendi, eo prorsus modo, quo reliquit Onufrius, scilicet cum respectu ad legitimationem à Principe faciendam. Item *C. in tempus, ff. de hered. instit.* ubi Covarruvias l. c. monens spurii patrem ita loquitur: Prætermittendum verò non est parenti tutissimum esse, ut spurium hæredem instituat sub conditione, si à Principe effectus fuerit legitimus; tunc enim secuta legitimatione, patris hæreditatem absque animæ periculo obtinebit, cum institui jure possit incapax in tempus, quo capere possit. *citt. leg. in tempus, & l. sicut & ibi Gloss. in princ. ff. quibus modis usufructus amittatur, cum citt. DD.* imò idem Covar. cum Bald. in *l. fin. ff. de iis, qui sunt sui vel alieni juris.* Jo. Lup. in *rubr. de donat. inter virum, & uxorem, §. 29. n. 4.* cum Claro l. c. aliisque addit, spurium hac conditione institutum posse, pendente conditione, bona petere, & ea ut Curatorem administrare ex bonorum possessione secundum tabulas, *l. si quis instituatur hæres in diem, ff. de hered. instit.* Unde

Ad rationem in contrarium ex utroque jure petitam.

R. spurios secundum juxta excludi ab omni successione paterna, pro casu, quo spurii hæredes instituuntur voluntate absoluta solius testatoris sine conditione, & respectu ad Principis legitimationem; secus verò si expectetur voluntas, & beneficium Principis, transferentis jura legitimorum filiorum, & successorum legitimorum in prolem spuriam, quo in casu nihil agitur contra jura, ut ajunt *citt. DD.* Possè autem Principem legitimize prolem adulterinam, incestam, & quamcunque non legitimam, probant quotidiana exempla Principum beneficium legitimorum hæredum largientium, & communis *DD.* cum S. Thom. in *4. dist. 41. q. 1. a. 3.* ubi ita arguit: Quod per legem inducitur, per legem revocari potest: Sed illegimitas filiorum est per legem positivam inducta: ergo potest filius illegitimus legitimari ab eo, qui habet auctoritatem legis. Ita ille. Quod intelligendum de casu est, quo legitimitas non cedit in damnum, & injuriam vel liberorum legitimorum, vel eorum, quibus jam jus acquisitum est in bonis testatoris; prout contingit in testamento Onufrii, utpote qui nec legitimos filios, & necessarios hæredes habuit, nec ejus bona cuiquam alteri fuere obligata.

Uu 2

Ad

Ad 2. Q. distinguendum est inter spurios; an tales sint jure Canonico, anque solum jure civili; nam ii, qui jure Canonico spurii appellantur, seu qui geniti sunt ex muliere, cum qua nec conceptionis nec nativitatis proles, nec intermedio aliquo tempore matrimonium consiliter potuit, excluduntur ab omni successione, non tantum paterna, ut supra dictum est; sed etiam materna, tam ab intestato, quam ex testamento, ut patet ex *citt. Authent. ex complexu & citt. Novell. 89.* Alii vero, qui jure tantum civili spurii vocantur, seu qui vulgò quæsi dicuntur eo, quod ex vaga, & promiscua libidine concepti sint, spectato jure communi matri, aliisque parentibus maternis unà cum legitimis succedunt, *l. 2. & 8. ff. unde cognati.* Excipitur tamen, nisi mater illustris sit, & alios legitimos filios habeat; nam tunc spurii, seu vulgò quæsi excluduntur, suntque ex bonis maternis duataxat alendi. *l. si qua illustris 5. C. ad S. C. Orficiantum, l. si quis 5. §. ergo 4. ff. de agnosc. & alend. liber.* Ad successione verò patris ejusmodi illegitimi non admittuntur; cum patrem, vel omninò non, vel saltem honestè demonstrare non possint.

310 Ab aliis tamen præter ascendentes possunt filii spurii hæredes institui, non secus atque quicumque alii extranei, ut notavit Gloss. in *Auth. quibus modis naturales eff. sui §.*

*pen. & tenet communis DD.* quia id non reperitur prohibitum in jure, sed potius expressè concessum in *Auth. citt. quibus modis, §. filius verò.*

Sicut porrò spurii succedere nequeunt parentibus, aut aliis ascendentibus, ita neque isti succedere possunt filiis spurii, ut colligitur ex *Auth. ex amplexu citt. & citt. Auth. quibus modis &c. & tradit communis DD. cum Covar. l. c. 8. §. 5. Molin. D. 167. Navar. l. 3. consil. 2. de success. ab intest. Abb. &c.* Ad successione filiorum naturalium quod attinet, distinguendum est, atque videndum, an præter naturales filios adsint filii legitimi, an verò præter ipsos nulli adsint legitimi filii? Si nulli adsint legitimi filii, tunc naturales succedunt ab intestato, sed in duabus tantum uncis, inter ipsos, & eorum matrem, si superstes sit, per æquales portiones dividendis; reliquæ autem decem unicæ obveniunt aliis defuncti agnatis, & cognatis. *Auth. licet, C. de natural. liber. & Novell. 89. c. 12.* Si verò adsint legitimi liberi à patre ab intestato decedente relictæ, tunc in nulla quidem parte bonorum patris succedunt naturales; non tamen excluduntur ab hæreditate materna; nam ad hanc æqualiter admittuntur cum filiis legitimis, excluduntque ascendentes legitimos perinde, ac si essent filii legitimi: in d. iidem filii, matre defuncta, non minus, ac alii liberi

beri legitimi succedunt ab intestato aviæ maternæ, aliisque per maternam lineam ascendentibus. *l. mo. destinus s. ff. unde cognati, &c.*

De eodem jure communi, in qua portione, & quomodo filii naturales succedunt matribus, & aliis ascendentibus per lineam maternam, in eadem matres, & alii ascendentes succedunt ipsis, quando tales filii carent descendentibus. Uti docent communiter DD. apud Molin. *D. 166.* ut sic par pietas descendentium servetur cum ascendentibus juxta cit. *Auth. quibus modis natur. effic. sui.* & *Auth. licet. C. de natural. liber.*

311 Ad 3. videri potest non subsistere legatum Berthæ Concubinæ factum; tum quia tale legatum palam turpitudinem præsert, utpote factum ab homine adultero, & incestuoso personæ iisdem criminibus contaminata; tum quia nulla lex, nullus actus potest esse justus, ac ratus, qui peccatum gignit, & fovet; sed talis actus est legatum ab amatore pellici factum, utpote quod gliscentem pellicatûs libidinem incendit, præteritarum voluptatum nefariam memoriam renovat, & futurarum similium illecebrarum appetitionem inflammat. Nihilominus haud dubiè tenendum est, tale legatum subsistere, & pium

esse. Ratio est, quia mentem hominis Christiana fide imbuti, decedentis, qualis fuit Onufrius, piè interpretari debemus, & credere, illum amore propriæ animæ, & ex motivo christianæ pietatis incitatum fuisse ad eam pecuniam Berthæ relinquendam. 2. Quia dubitandum non est, titulum dotis, quæ maritandis puellis, & egentibus mulieribus constituitur à testatoribus, cum pietate & religione conjunctum esse; tale est legatum Onufrii Berthæ relictum: ergo. 3. Quia Legatum, quo à flagitiosa vita pauperes, & infames mulieres revocantur, aut revocari possunt, pietate non caret; tale est legatum Onufrii Berthæ factum, eò tendens, ut Bertha in legitimo matrimonio collocata à turpis quæstus periculo abduceretur. Ergo.

Nec obstat ratio dubitandi in contrarium allata; nam nec infamia legantium, nec dedecus & improbitas legatarii improbum, & turpe legatum efficiunt, modo id, quod legatur, pietatis legibus administratur, sitque res per se bona & officio christiani hominis consentanea. Sic si sceleratus Christianus Judæo, vel meretrici gravissimè morbo vel fame laboranti succurrat, non ideò turpe erit ipsum subsidium, quia turpitudine in personis versatur.